

Lex humana positiva. Illa quae ab hominibus potestatem regendi communitatem habentibus constituitur. Et haec subdividitur in *civilem* et *ecclesiasticam*.

SANCTIO LEGIS. Sanctionis nomine intelliguntur praemia et poenae a legislatore statuta pro observantibus vel transgredientibus legem a se latam. Est *perfecta* vel *imperfecta*.

Jus. Id quod est alteri debitum. Dividitur :

Jus	objectivum	naturale positivum divinum ecclesiasticum civile
	subjectivum	ex parte legis ex parte objecti naturale positivum divinum ecclesiasticum civile in re ad rem

Jus objective consideratum. Quod est alteri debitum.

Jus subjective consideratum. Facultas moralis, personae competens ad aliquid juste habendum vel agendum.

Jus naturale habetur quando adaequatio qua justa est res aliqua est ex ipsa natura rei, ut cum aliquis *tantum* dat ut *tantum* accipiat.

Jus positivum habetur quando adaequatio dependet ex voluntate contrahentium, vel statuitur a lege civili, ut puta pretium tritici, et alia similia.

Jus in re est illud quod quis habet in re non solum sua sed habita seu possessa ; et consequenter dat actionem legitimam in ipsam rem.